



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1707

Q. 69. An sit mortale jurare se facturum rem, quam jurans scit esse moraliter impossibilem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42515

Q. 68. *An sit licitum jurare circa rem malam.* ²⁶⁵
 R. *Regin.* & alii cum *Bonac.* D.4.Q.1. P.3.N.9. dicunt
 semper esse mortale adducere Deum in testem rei
 mortaliter malæ, sed probabilius negant *Suar.* c.12.
 num.7. *Sanch.* L.3.c.4.n.33. *Fill.* T.25.c. II. n.336
Castrop. p.5.n.6. *Dicast.* n.81, nisi Juramentum asu-
 meretur tanquam instrumentum illius peccati,
 uti si quis detractionem confirmaret juramento,
 tum enim per juramentum auget infamiam, quia
 majorem facit fidem; de cetero non erit mortale
 jurare, v. g. furtum à se esse commissum, nam
 invoco Deum testem veritatis; imò rectè notat *Fill.*
 nullum fore peccatum, si quis cum causâ juraret
 se aliquod mortale commisisse, nam ex illo objecto
 materiali jurato nulla redundat irreverentia
 in Deum vel in juramentũ: aliud est de juramento
 promisorio, de quo *Busenb.* suprâ, nam si jurem
 rem venialiter malam à me faciendam, communis
 sententia est esse tantum veniale; si mortaliter
 malam, communior est, quòd peccem graviter,
 firmando me illâ autoritate Dei in proposito
 peccandi mortaliter, quamvis etiam *Leß.* & *Dicast.*
 à num. 67. dicant nec hic satis apparere rationem
 convincentem, retorquentur enim in proposito
 jurato peccandi venialiter, hinc fidedigni referunt
Vasq. & *Rubium* sensisse semper esse veniale
 tantum; sed propter autoritatem contrariam
 non est recedendum à communi sententia.

Q. 69. *An sit mortale jurare se facturum rem,* ²⁶⁶
quam jurans scit esse physicè vel moraliter impossi-
bilem. R. Communis sententia apud *Tamb.* L.3.c.3.
 §.3.n.8. *Dicast.* n.108. *Busenbaum* suprâ affirmat, quia
 Deus vocatur in testem illius, quod judicari debet
 non futurum: consentit *Tamb.* si juranti, quantum
 in se est, desit animus procurandi, ut eveniat,

M

fi

si autem hic animus adsit, putat cum aliis non fore mortale, quia deērit solum iudicium.

- 267 Q. 70. *An sit licitum jurare rem, quam tantum probabiliter iudico esse veram.* R. *Sanch. L. 3. c. 4. n. 10. Castrop. p. 5. n. 2.* aliique cum *Diana P. 4. T. 4. R. 77.* affirmant, quia iuras hoc, quod iudicas verum, ergo non pejeras; unde quod aliquis audit à viro notabili & fidedigno, potest secundum illos AA. affirmare & extra Iudicium jurare esse verum; quod aliqui apud *Dian.* extendunt ad Juramentum etiam in Iudicio, sed melius id negant alii, ibi enim postulatur Juramentum scientiæ, quod maiorem certitudinem requirit, uti notat *Castrop. n. 3.* nam testis hic censetur semper testari de visu & præsentia propria, uti etiam notavit *Bon. supra n. 9.* Si quis putet utramque partem oppositam esse probabilem, poterit jurare & hanc & illam esse probabilem, tamen jurare non poterit & hanc & illam esse veram, cum enim utrique simul assentiri non possit, illam tantum jurare poterit, cui assentietur: è contra *Suar. c. 4. n. 7. & Dicast. n. 147.* requirunt moralem certitudinem ad omne Juramentum, alioquin jurantem fore perjurum, quia qui iurat, significat se plus quam opinari, & dicit se aliquo modo scire, ergo jurare non licet id, de cuius veritate certò non constat; & præquiretur saltem talis certitudo, ut nulla vel parva & non prudens sit formido de veritate partis oppositæ, vel saltem ut non sit formido æqualis: admittunt tamen & ipsi requiri quandoque maiorem, quandoque minorem certitudinem, etiamsi in Iudicio iures, uti rectè explicat *Dicast. n. 142.* nam in causis, ubi Juramentum erit in favorem, sufficiet minor certitudo, ubi autem ex eo grave incommodum nasci posset alteri, requiretur major; &

hæc